

**NOTIZIARIO DELLA CONFERENZA EPISCOPALE ITALIANA**  
**a cura della Segreteria Generale**

**NUMERO 9**


**31 DICEMBRE 1982**

## **Auguri natalizi del Santo Padre**

---

*Si riproduce, per documentazione, l'autografo con cui il Santo Padre, Giovanni Paolo II, ha fatto pervenire ai Vescovi, tramite i Presidenti delle Conferenze Episcopali, l'augurio per le festività natalizie 1982.*

*Il Cardinale Presidente, in data 22 dicembre 1982, con lettera prot. n. 941/82, ha inviato a tutti i Vescovi fotocopia del citato autografo.*



*Venerabilis Frater Noster,  
salutem et Apostolicam Benedictionem*

*Alius dum solemniter, Deo dante,  
initur mysteriorum christianorum litur-  
gicus cursus - quo et hominum generis  
Servator Divinus nobis mystice iterum  
nascetur et nostrae exsequetur opus salu-  
tis et ad sempiternam tolletur apud  
Patrem denique gloriam -, perplacet qui-  
dem Nobis has ipsas ad te dare litte-  
ras eodemque tempore ad cunctos vestrae  
Episcopalis Conferentiae sodales, ut nata-  
licii huius temporis laetitiam eximiam  
atque consolationem veluti praesentes istic  
vobiscum participemus.*

Consalutamus enim vos Christi Domini adfectu, quem his potissimum diebus avidè omnes cogitant et invocant Principem Pacis; conceditas pariter vobis ecclesiales communitates salutamus Mariae virginis Deiparae sensu, quam videmus adeo libentes veremurque salvatiferæ operæ sociam ac matrem sanctæ spei; praeclari tandem decessoris Nostri Leonis Magni hortatu universos inter vos bonae voluntatis homines salutamus: "Salvator noster, dilectissimi, hodie natus est: gaudeamus" (Serm. 1 in Nativ. Domini).

Sic igitur iustissima profecto de causa iam cum omni Ecclesia lætantes ac de venturo etiam anno iubilari Reparatae Salutis plurimum sane sperantes eundem

Brevi nasciturum obsecramus Dominum  
ut intimis vicissim animis vos in poste-  
ros menses exhiberet superna luce sua  
veritateque ac vestros greges singulos per  
industriam pastoralem vestram prosperet  
quam maxime in viis evangelicae vitae  
actionisque christianae. Cuius optati a  
Deo impetrandi feliciter causa Aposto-  
licam Benedictionem vobis singillatim  
Nos amantissime donamus.

Ex Aedibus Vaticanis, Kalendis De-  
cembribus, anno MCM LXXII, Pontificatus  
Nostri quinto.

Joannes Paulus PP. II